



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1715. usque ad annum 1718

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 13322648

§. 75. Principes atque Illustres hoc anno denati.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67649)

Sæc. XVIII.
A. C. 1716.

§. LXXV.

*Principes atque Illustres hoc anno
denati.*

*Europ. He-
rold. Part I.
pag. 308.
Dorſann.
Journ. t. I.
pag. 286.*

Inter Principes, qui hoc anno sceptrum cum vita posuere, Religionis studio, & magnanimitate longe celeberrimus, erat Joannes Guilielmus Palatinus S. R. J. Elector, qui quamvis suas ditiones toto belli tempore Gallorum deprædationibus exponere cogeretur, a fide tamen Cæsari promissa amoveri haud poterat: Reddita pace in Romani Imperii Vicarium nominatus, multas Ecclesias, quas bello proscripti Calvinistæ reliquerant, Catholicis vindicabat, iis frustra reclamantibus, quorum aliquot millia in Angliam profugere, ubi quidem lætanter excepti, paulopost tamen in Hiberniam, in novam Eboracensem Provinciam, & Carolinam in America ad excolendam terram transmissi sunt: quinimo Angli illos, qui postmodum subsequerentur, tanquam homines pigros, laborisque impatientes ad sua remiserunt. Obiit hic Princeps impolis Düffeldorpii die octava Junii, quem summus Pontifex in suis literis die quarta Septembris ad Mariam Annam defuncti Conjugem Neoburgi Ducissam datis tanquam *S. Sedi addictissimum Filium,*
ortho-

orthodoxæ Religionis strenuum defenforem, Sæc. XVIII.
& Christianæ Reipublicæ Principem eximiis A.C. 1716.
 ornatum virtutibus deprædicabat. Obiit
 etiam annos natus nonaginta sex Mat-
 thæus Ilore de Hervault Touronensis
 Archiepiscopus, qui senio, morum
 integritate & iudicii acie conspicuus
 ex octo illis Episcopis, qui sese Consti-
 tutionis *Unigenitus* acceptationi in Pa-
 risino Conventu factæ opponebant, haud
 infimus erat. Referunt nonnulli, hanc
 Archiepiscopi repugnantiam ex privata
 aversione contra Clementem concepta
 ortum traxisse: cum enim Hervaultius
 adhuc Romæ Auditorem Rotæ ageret,
 & cum Clemente tum Cardinale Al-
 bano de Ecclesiæ Gallicanæ libertati-
 bus differeret, hicque inter alia dixit:
quid demum sunt vestræ libertates, &
quo fundamento nituntur? si quondam me
Papam fieri contingeret, ostenderem tibi,
quam infirmo pede hæc libertates consistant;
 his verbis offensus Hervaultius Cardi-
 nali respondit: *Et ego, si quondam me*
Episcopum fieri contingeret, spondeo me tibi
monstraturum, quanti momenti & solidita-
tis hæc libertates sint: Ab eo tempore quo-
 ties de Romana Urbe, vel de Consti-
 tutione *Unigenitus* loquebatur, de hac
 dicere solitus erat, quod Romana Se-
 des ab Apostolorum ævo molestius ne-
 gotium non habuerit, de illa autem
Hist. Eccles. Tom. LXIX. D d cunct

Sæc. XVIII. cum Salustio de sui ævi Romana Urbe
A. C. 1716. *differe[n]te agebat: Hæc civitas est venalis,
 & nil nisi emptorem expetit.* Non sine
 maximo Austriacæ Domus luctu Vien-
 næ quarta Novembris die Onomastica
 Caroli VI. Imperatoris decessit Leopoldus
 Joannes ejusdem Filius primogenitus,
 qui primum hoc anno die decima
 tertia Aprilis natus erat; cum vero
 hic Asturiæ Princeps nominaretur, ejus
 nativitas sicut Hispanis erat, molesta,
 ita præmaturus ejusdem obitus illis ac-
 ciderat pergratus. Obiere insuper Darm-
 stadii die octava Januarii Franciscus Er-
 nestus Filius secundo genitus Landgravi
 Hasso - Darmstadiensis, die trigesima
 ejusdem Mensis Maria Casimira So-
 biescki Poloni Regis Conjux. Die octava
 Februarii Carolus Fridericus Marchio
 Onolsbacensis, die sexta Augusti Fride-
 ricus Augustus Dux Wirtembergico-
 Neostadiensis sine prole mascula, hinc
 ei successit ejus Frater Carolus Rudol-
 phus. Die decima Octobris Antonius
 Egon S. R. J. Princeps, & Landgra-
 vus de Fürstenberg Regis Poloniæ,
 Electorisque Saxonie in Electoralibus
 terris Locumtenens. Obiere insuper
 Viennæ L. B. de Rummel ejusdem Urbis
 Episcopus, cui successit Sigmundus
 Comes de Kollonitsch Vaciensis Epi-
 scopus, Pampelonæ Petrus Aguado
 ejus-

ejusdem Urbis Episcopus, Wratislaviæ Sæc. XVIII. A. C. 1716.
post editam fidei Catholicæ professio-
nem Hedvigis Ducissa Wirtenbergica,
Petroburgi Maria Euphrosyna Marveona
Theodori Alexii Magni Moscoviæ Du-
cis relicta Vidua, & Natalia Alexio-
vana ejusdem Ducis Soror, Hedvigis
Eleonora Caroli Gustavi Sueciæ Regis
Vidua, Constantinopoli Valida Impe-
ratoris Achmetis Mater, Jacobus Dur-
mond Perthenis Dux, olim Scotiæ
Cancellarius, & Albertina Joannetta
Principis Salmensis uxor.

§. LXXVI.

*Controversia inter Spirenses Episco-
pum, & Lutheranum hujus
Urbis Senatam.*

Jam dudum Lutherani variis artibus Gottfrid. cont. Hist. Chron. l. 15. part. 5. Fabri Staats-Ranz. t. 28. & 30.
suam sectam in Spirensi Urbe pro-
pagare adlaborabant, omnique data
occasione Catholicos opprimebant, ac
demum consueto suo artificio, nescio quæ
religionum gravamina excogitantes,
& Evangelicorum, ut vocant, Corporis,
aliorumque Principum præsidia implo-
rantes, Catholicos violatæ pacis, per-
turbationum, oppressionum, & inju-
riarum incusabant, hac via saltem ali-
quam suæ Religionis extensionem ex-
torquentes. Quamprimum Henricus

D d 2

Ha-